



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Gloria immaculatè conceptæ Deiparæ Virginis Mariæ  
Centvm Ecclesiae Testimoniis, totidemq[ue]  
anagrammatibus ex salutatione angelica deductis ornata  
& stabilita.**

**Colonia, 1662**

Decas IV. Anagrammatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53177)



*X. Aula sum tota munda, ac Regina empirei.*

Julius II. in bulla Ad statum, dicit, gloriosæ Virginis anima à creatione sua tota facta fuit cœlestis, & singularis Regis æterni thalamus. *Accedit his omnibus, quod jussu Clementis VIII. Pont. Catechis us Rom. vulgatus hunc Ecclesia sensum super angel salutacionem inculcet.* Gratiâ plena est, quia quoad primum gratiæ effectum, scilicet peccati deletionem, Virgo sanctissima nunquam maculam habuit peccati originis, aut actualis, mortalis, vel venialis.

DECASIV. Anagrammatum.

*I. Virgo à macula Adæ patenter immunis.*

**P**risca Apostolorum temporibus jam existimatio de immaculata conceptione tenuit. S. Andreas Apostolus in Epist. Presbyterorum Achaia, Sicut, inquit, primus Adam formatus est ex terra, antequam esset maledicta, ita secundus formatus est ex terra Virginis nunquam maledicta.

*II. Virgo antea immaculata, en paris Deum.*

S. Jacobus Minor in Liturgia sua appellat Virginem, Matrem Dei nostri, honorabiliorem, quam Cherubim, & gloriosiore, quam Seraphim, quæ sine corruptione Verbum Dei peperit.

*III. I ergo pura, i sane munda, & immaculata.*

Ibidem habet: Commemorantes omnibus modis sanctam, immaculatam, gloriosissimam, benedictam Dominam.



*IV. En virgo Deipara sum, at immaculata.*

S. Marcus in sua Liturgia, In primis, ait, sanctissima intemerata & benedicta Dei Genitrici, & semper Virgini Mariæ.

*V. Vivam Deo integra, immaculata parens.*

In Liturgia apostolica Æthiopum sic habetur: Letare immaculata verè Regina, letare gloria nostrorum parentum.

*VI. Pia, munda, iusta, alma creatorem genui.*

Ibidem dicitur. Intercessione plenæ gratiæ Virginis Genitricis Dei Mariæ, quæ in omnibus est sancta.

*VI. Para unica ego sum, Mater alma Dei nati.*

S. Ignatius Martyr: Epist. ad Ioannem: Sicut nobis à fide dignus (Apostolus) narratur, in Maria Matre Jesu humanæ naturæ, natura sanctitatis angelicæ sociatur.

*VIII. Vna semper immaculata Virgo Dei nata.*

S. Dionysius Areopagita in Epist. ad Paulum vocat D. Virginem Dei formam, atque super omnes cœlicos spiritus sanctissimam.

*IX. IO Regina, pura, munda & immaculata es.*

Judæi Matrem Messia tanquam primogenitam creaturarum & Adamo priorem, adeoque ut à labe originali eximiam venerantur. Ita Galatinus habet l. 7. ex Rabbi Hac cados, quem sanctum Magistrum suum dicunt. Ostendit, inquit hic, matrem primam esse creaturarum Dei in genere humano, sicut dictum est Mich. 5. & egressus est ab æternitate, & à diebus seculi.



seculi. Dicit enim egressus numero multitudinis : quia sunt duo Messiaë egressus, unus divinitatis, quæ & æterna, ideoque dicit ab æternitate. Alter humanitatis, quæ in suæ Marris extat substantia, quæ creata est ab hora creationis mundi.

*X Tu è summo data pura à nece amari ligni.*

Mahometani quoque hanc sententiam traditione acceptam hodie dum timentur. Vnde in Alcorano Azurara 75. hæc habent. Nullus de filiis Adam nascitur, quem non tangat Satân, & ideo plorat vociferans ex ejus tactu præter Mariam & filium ejus.

## DECAS V. Anagrammatum.

*I. Vna Deo immaculata es, Mater puri agni.*

**V**eteris orthodoxæ Ecclesiæ Patres & Doctores omni ex parte immaculatam Virginem profitentur; Origenes hom. 1. de diversis in Matth. Hujus unigeniti Dei dicitur hæc Mater VIRGO MARIA, digna digni: *immaculata* Sancti & immaculati.

*II. Eja ergo pura, munda, immaculata nites.*

S Athanasius in orat. de occurſu Domini: Virgo omni ex parte *immaculata* & penitus impolluta, *παναφθορος, & παναίματος.*

*III. I Virgo sane munda, aperte immaculata.*

S. Gregorius Thaumaturgus in sermone de Annunt. Missus est, inquit, servus incorporeus, ad virginem inviolatam, atque immaculatam: missus est à peccato liber, ad corruptionis, seu labis expectem.

*IV. E-*